

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

DE

CENTONIBUS POËTICIS

CONTINUATIO QUARTA,

QUAM,

VENIA AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

Academia Aboënsis h. t. Rectore,

Eloqu. Professore Publ. & Ord. Imper. Ord. de S. Wolodimiro

in quarta classe Equite, Societ. Oecon. Imp. Fenn. atque

Reg. Wermel. nec non Societ. Patriot. Holm. Membro, &

Societ. Latin. Jenens. Socio Honorario,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIT

CAROLUS MAGNUS LIMON,

Stip. Publ. Satacundensis,

In Auditorio Theologico die XXX Sept. MDCCCXV.

Horis a. m. confvetis.

ABOË, TYPIS FRENCKELLIANIS.

TILL

MAJOREN, OCH RIDDAREN AF KONGL. SVENSKA SVÄRDS ORDEN,
HÖGVÅLBORNE FRIHERRE,
HERR GEORG HENRIC LYBECKER.

*Uti mitt hjertas djup jag länge inneslutit
De varma känslors mängd, som tacksamheten födt:
En suck har tolkat dem, en afskeds-tår har flutit,
Men tyfsta, liksom de, de likväl aldrig dödt.*

*Nej outplånligt står uti mitt inre skrifvit,
Hur god, hur huld Ni var, hvad ynnestprof jag njöt:
Och sen till annan ort af ödet förd jag blifvit,
Vid minnet, mången gång, ännu jag tårar gjöt.*

*Må nu för verlden ock Ert ädelmod förkunnas,
Fast det Er vällust är, att onämnd göra godt:
Åt tacksamheten må den njutning ju förunnas,
Att nämna högt ett namn, som hennes vördnad fått.*

*Det offer hjertat här åt Eder tacksamt räcker,
Med samma välbehag, med samma ynnest tag,
Som i Er verkningskrets Ni jemnt till alla sträcker,
Och som jag ersor nyfs så mången lycklig dag.*

CARL MAGNUS LIMON.



Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,

OVIDIUS.

Subsidia inter & adjumenta, quibus partam Latinæ lingvæ peritiam ejusdemque sermone & scripto usurpandæ facultatem confirmatum auctumque ire tentabant læculorum proxime elapsorum homines, id quoque haud leve fuit, quod versibus hac lingua pangendis in ipsis jam scholis dabant operam. Ut ut vero mollior sic, tractabilior & ductilior quasi, atque ad formas omnes flexibilis reddebatur oratio a), parum tamen inde fructus ad poësin ipsam redundabat. Ut namque in universum alex plena est res ad carmina facienda accedere, ita, si id in lingua peregrina & jam emortua tentaveris, plenissima est, & a qua vel summa ingenia consultius abstineant. Quod si vero in his quoque, utpote lingvæ, qua scribunt,

E

non

a) J'ai fait de tems en tems de médiocres vers; c'est un exercice assez bon pour se rompre aux inversions élégantes, & apprendre à mieux écrire en prose. ROUSSEAU, Confessions L. IV.

non dominis sed servis, vitari plane non potest, ut exteris, aut parcius etiam superstitionibus antiquorum, exemplaribus, ultra quam poëticae aut venae aut dictionis libertas patitur, semet adstringant, in ceteris certe, quorum permagna est turba, natura minus favente instructis, servilis imitationis plurimum, nativæ & propriæ vis parum prodetur. Centonum igitur habitui, quam verorum poematum, propiora necessario erunt, quæcunque in hoc genere ab aliorum temporum & populorum hominibus tentantur; quod cum vel in poëtis classicam linguarum antiquarum ætatem intecutis haud raro cernatur, in longiore post intervallo venientibus, nec eadem amplius lingua utentibus magis etiam apparet. Fit hinc, ut quod manifestius, & per omnia, non sequitur modo, sed proficitur consilium Centonarius, id tectius quidem & per partes, nec obscure tamen, sequi deprehendantur etiam ii, qui suo uti modulo suoque canere ingenio videri volunt. Utrumque igitur genus cum tam parum ab altero distet, excusationem vel hoc nomine habebunt Centonarii haud improbabilem; quare nec conquisivisse eorum opera & percensuisse, inutile aut judicatum fuit, aut in nobis judicatum iri credimus, qui commilitonum plurimum nistentes exemplis, nostram quoque dicatam huic Literariæ Historiæ particulæ voluimus symbolam. Commemoranda vero nobis, pro temporis ordine, primo loco est

Oratio metrica de Obsidione urbis Lipsiensis a die XVIII Octobris usque ad XXVIII Novembris diem anni post Virginis partum c1o1oCXLII gravissime continuata, versibus, quantum fieri potuit, puris sere Virgilianis, tela intermedia atque horrendos Marte tumultus contexta, & præscitu ac permisso inclytæ & spectatissimæ Facultatis Philosophicæ, in celeberrima & florentissima Academia Lipsiensi, splendidissimo & amplissimo consensu auscultante, in Acroaterio Col-

Collegii Principum majoris habitus a JOHANNE NICOLAO FINCKIO, *Smalcald. Philosophiæ & Medicinæ studioſo. d. XXI Januarii hora VIII, cl. 16CXLIII* (& impreſſa ibid typis HENNINGI COLERI, plagg. 4, forma quarta). Verſibus conſtat nongentis viginti ſeptem, quibus Programmatis inſtar præmiſſi a Decano laudatæ Facultatis ſunt alii triginta & unus, etiam illi maximam partem ex VIRGILIO vel efficti vel exſcripti. Quæ huic non debentur, notata in utriſque alio litterarum ductu plerumque ſunt, nec tamen ubique ſatis accurate, cum ex. c. Auſonianos *b)* illos de viro bono & ſapiente verſus

Juſto trutinæ ſe examine penſat

Ne quid biet, ne quid protuberet, angulus æquis

Partibus ut cœat, nihil ut deliret amuſſis,

qui, hunc in modum mutato primo,

æquato trutinæ quæ examine penſat,

a FINCKIO (v. 67-69) de Lipſienſi curia dicuntur, a vere Virgilianis nulla nota diſtingvat. Valet idem de verſibus 502 & 922, quos tamen epitheta *ignicomæ* (flammas) & *coenofam* (undam) MARONI abjudicant; pariterque de v. 543, ubi pro *duris argens in rebus egeſtas* (Georg. L. I. v. 145), ſimilibus per totum typis legitur *duris argens in rebus anance*. Sunt quoque alia parodiæ quam centonariæ arti propiora, ut v. 76, 326, 545, 894-897:

Parcit ſubjectis quæ (curia) debellatque ſuperbos.

Vos ego! ſed motas præſtat reſtingvere flammas;

— — — *firmamque petunt per vulnera pacem;*

Lipſidis hæcce ſuper lapſu fatiſque canebam

Tela inter media atque horrendos Marte tumultus,

Illo dum juvenem me tempore dulcis habebat

Lipſidis urbs ſtudiis vacantem nobilis oti;

E 2

quæ

b) Idyll. XVI, v. 9-11.

quæ omnia similia magis sunt Virgilianis *Æn.* VI. 853, I. 135. *Georg.* IV. 218, 559, 563 sq. *Æn.* X 237, quam eadem, sed duos tresve versus si exceperis, nullo signata discrimine: cum contra multo minus variati v. 403 sq. 924 &c.

ter sanguine nostro
Pieria Philyres latos pingvescere campos;
Vestrorum nostro labatur pectore vultus;

in quibus parum sibi concessit locorum *Georg.* I. 491 sq. *Ecl.* I. 64 imitatio, litterarum forma a reliquis discrepent. Jusfit & aliquando necessitas integros interferi, non aliunde confutos, sed propriæ debitos venulæ: in quibus non raritatem quidem, quæ in hoc genere laudanda potius est, sed duritiem & præpostere quæsitas culpes elegantias. Tales sunt Leonini versus (529, 865)

Theiologum Hôpneri, simul & Langi atque Weberi;
Eripe tantorum cunctos de clade malorum

(quorum neque hic alio excusus est caractere, quam pure Virgiliani), & similiter incipientes desinentesque (v. 854 856)

Tantum finem des, o Rex Christe, laborum,
Tantum finem des, o Rex magne, dolorum,
Tantum finem des, o Rex summe, timorum.

Præcepti quoque Auloniani (*In unum versum coëant aut cæsi duo, aut unus & sequens cum medio; nam duos junctim locare inceptum est, & tres una serie meræ nugæ*) eo usque fuit auctor aut immemor aut incuriosus, ut non tres modo (e. g. v. 29-31, ex *Georg.* II. 475 477), sed quatuor (v. 84-87, ex *Æn.* IV. 174-177), quinque (v. 24-28, ex

ex Georg. II. 503-507), sex & ultra (v. 118-123, 149-155, ex Æn. IV. 402-407, & 522-528), immo novem (ut v. 161-169, 401-409, 503-511, ex Æn. VII. 376-384, & Georg. I. 489-497, II. 303-311), parum aut nihil mutatos versus succedere sibi eodem ordine saepe patetur. In Svecos autem, urbem in deditionem accipientes ibique epulatos, post versus 843-848 (ex Æn. I. 723-726, IX. 165, I. 497. Ecl. V. 62 compositos), hoc videtur v. 849 sq. rectius dictum:

*Fata Jovis quoque plura sinunt, sed causa tacendi
Est hic; concessus nobis jam terminus heret.*

Proximi Finckiano, pro temporis ratione, sunt CHRISTOPHORI DIETERICI STEINMANNI, *Ferxheimensis, Cento de nativitate Servatoris, Helmstadii 1670, 4:o c*), & P. VIRGILII MARONIS *Æneis in Tragicomoediam redacta, servatis ubique heroicis versibus, a JOANNE LUCIENBERGIO, Francofurti 1676, 4:o d*); sed de quibus, præter operum titulos, nihil nobis innotuit.

Nominandus porro inter Centonarios est M. DANIEL TRAUTZEL, Sudermannus e): vir, ut videtur, ad consarcinandum

c) FABRICII Biblioth. Latin. Edit. Ernest. T. I. p. 385.

d) JOH. VOGT Catalogus historico-criticus Librorum rariorum, Hamb. 1747, p. 712.

e) Natus is erat Nycopiæ, patre eive Germanicæ stirpis. E Gymnasio Strengnesensi, quod frequentare a. 1676 cœperat, triennio post Upsalensem adiit Academiam, deinceps Germaniæ plures. Dissertationem edidit primam Jenæ a. forte 1690, (AURELIUS a. habet 1696, sed perperam), Præside JO. ANDR. SCHMIDIO, de Deo & attributis Divinis ex principiis naturæ cognoscibilibus; alteram Upsaliæ a.

nandum, quam ad proprio elaborandum Marte, etiam in
 prosa, prior. Non vidimus ipsi nisi duas hujus scripto-
 ris Dissertationes; at certe Theologica illa Upsalix publi-
 cata tota fere quanta est ex Sacri Codicis & Theologo-
 rum effatis confuta, citationeque habet fere totidem ac
 lineas. Valet & idem de sequente Eiusdem scripto; *Oratio*
fa-

1691, Præfide GUST. PERINGER (LILLIEBLAD) de Kikajon Jonæ; &
 post octiduum die 10 Decembris laurum, Diribitore JAC. ARRHEN-
 NIO, ibidem obtinuit philosophicam. Post defensam a. 1694 in
 laudato Gymnasio Dissertationem historico-physicam de Bernicis
 seu Anseribus Scoticis cum subjunctis Corollariis Philosophicis, Le-
 ctor Logices & Physices constitutus d. 12 Junii est, & eodem an-
 no sacris ordinibus initiatus. Edita denuo a. 1701 Upsalix Dis-
 putatione, qua, Præfide DAN. DJURBERG, de ספר חיים seu
 libro vitæ æternæ egerat, viam sibi ad Lectionem Theologicam
 impetrandam munivit; cujus & una cum cura Ecclesiæ Aspō e. a.
 particeps factus. His fungens muneribus Dissertationes ulterius
 publicavit Gymnasticas octo: a. 1702 Triadem Positionum Theo-
 logicarum ex locis Theologicis Hafnerfferi, de Creatione & Pro-
 videntia; atque Axiomata Theologica eorumque Antithesin, de
 Scriptura Sacra; a. 1703, Angelologiam sacram; a. 1704, de na-
 tura & constitutione Theologiæ Revelatæ; a. 1705 de Deo Trinuno
 Θεογύμνασμα, atque de Immortalitate Animæ; a. 1707, de
 Animæ humanæ propagatione; a. 1709, de homine in Imagine Dei,
 secundum similitudinem Ejus factō, ex Genes. 1: 26, 27 (P. I.); &
 a. 1706 Synodalem unam in Articulum Augustanæ Confessionis XII
 de Pœnitentia. Rectoratu Gymnastico ter functus est. Exincto
 a. 1712 Mag. BIRGERO FLOSUNDIO, Ecclesiarum Nericix Kumla &
 Halsberg Pastori, successor datus, antequam commigrare illuc pos-
 set, cesit ipse fatis e. a. & die mensis Augusti 27; in templo
 Aspō d. 29 Septembris sepultus. Uxorem habuit BARBARAM BRÖM,;
 denatam d. 5 Octobris 1704. Cfr. NILS AURELIUS, Strengnäs
 Stifts Herdaminne Födra Del. p. 9 sq. LIBÉN Catalog. Disputatio-
 num Sect. I. p. 126, 381. Sect. IV. p. 32-34, 38. Sect. V.
 p. 42. E. M. FANT & A. STOLPE, Descript. Nericix Occidentalis
 Specim. II. p. 24.

*funeris in excessum plurimum Reverendi atque Clarissimi
Viri M. MAGNI MELANDRI, Pastoris Nycopensium ad Ædem
S. Nicolai, & adjunctarum Paroeciarum Præpositi dignissimi,
quam coram illustri & frequenti Auditorio, die 5. Cal-
end. Octobris Anni, quo*

6 Æn. 869. *OstenDent terris bVnC tantVM fata, neqVe
VLtra*

*Esse sInentqVe * refert: O terqVe qVaterqVe beatI 1 Æn. 98.
publice in Æde evaßtrngi's. quæ Nycopia habetur, instituit
Nobilissimi, nunc inter coelites beatissimi Dn. ANDRÆ
BYRSONII, Cohortium quondam militarium Tribuni armisque
optimi Stipendiarius M. DANIEL TRAUTZEL, Nycop. Holmiæ,
Excudit HEINRICUS Keyser, S. R. M. & Ups. Academiæ
Typographus. Plagg. 4, 4:0, & ex quo igitur commu-
nium potius locorum & aliunde decerptorum dictorum
quam rerum tum dicendarum thesauro ad vitam atque
fata beati discenda noscuntur oppido pauca. Ultimas qua-
tuor paginas explet ad manes beatî defuncti Cento totus
Virgilianus versuum 150 brevis ille, sed artis valde la-
boriosæ. Scilicet diligentissime annotata ubique sunt
Mantuanî vatis non loca tantum, sed minutissimæ etiam
lacinix, immo verba singula, ut in his (v. 1. 3, 8. 12,
43, 46, 60):*

5 Æn. 517. *Decidis exanimis, * corpusque exsangve sepulcro*

2 Æn. 542.

2 Æn. 426 *Procumbit, * veluti cum flos succisus aratro;*

9 Æn. 435.

1 Geo. 24. *Tuque adeo * teque ex oculis avertis & aufers.*

4 Æn. 389.

4 Æn. 620. *Sed cadis ante diem, * supera ut convexa revisas,*

6 Æn. 750.

3 Æn.

- 3 Æn. 140. *Linguebas dulces animas, * extrema sequutus,*
 9 Æn. 204.
 4 Geo. 253. *Quod * totam luctu concussit funditus urbem.*
 12 Æn. 594.
 5 Ecl. 28. *Interitum montesque feri sylvæque loquuntur,*
 2 Geo. 53. *Nec non * Et gelidi fleverunt saxa lycæi.* 10 Ecl. 15.

9 Ecl. 18. *Pæne simul tecum solatia rapta * sepulta.* 6 Æn. 424.

4 Æn. 379. *Scilicet * athereo cursu traiecerat axem.* 6 Æn. 536.

12 Æn. 793. *Quæ * domus interior regali splendida luxu.*
 1 Æn. 641.

& quæ sunt cetera; stellulis distincta vel brevissima fragmina; nusquam plus sesquiversu ex uno loco depromptum; parodicæ libertati, præter haud infrequentem numerorum, modorum & personarum variationem, vix quidquam tributum; & propter anxiam verborum curam, non rarus sanioris sententiæ neglectus, ut in versu 34, proxime antecedentem

11 Æn. 417. *Egregiusque animi * custos, cursusque regebas;*
 6 Æn. 350.

ita excipiente,

12 Æn. 59. *Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit.*

Inepta quoque & risum fere movens v. 29 est notissimi illius Virgiliani (Ecl. VII. v. 7) *vir gregis*, ad defunctum accommodatio; at contra non infelix v. 13 Maroniani istius mutili (Æn. VII. 760) *Te liquidi flevere lacus* ex Ecl. X. 13 (*flevere myricæ*) expletio. Nec desunt in ipsa Oratione, quæ, quamvis prosaica, versibus tamen leatet antiquiorum recentiorumque poetarum plurimis, centonum bre-

brevium quidem, sed magis etiam compositorum exempla; qualia sunt hæc (pag. 20, 24):

Magna petis. Phaëthan, majoraque viribus audes.

Gaudet patientia duris:

Nulla anceps lætamen inest virtute sine ista

Virtus, nam vidua est, quam non patientia firmat;

quorum fontes sunt OVID. *Metam.* II. 54. VIRGIL. *Æn.* X. 811. LUCAN. IX. 403. PRUDENT. *Psychomach.* v. 176 sq.

Mixti ex prosa & versa scribentium dictis generis est quoque Bergenhielmianum f) opus *Cento Satyricus in bodiernos motus Septemtrionis concinnatus*, qui presso Auctoris nomine, nec impressionis loco aut tempore indicato, anno prodiit 1700, forma quadrata, & plagulas continet duas cum quarta parte. Inducuntur ibi Imperator Romanus, Sveciæ, Daniæ, Magnæ Britanniæ, Poloniæ Reges, Electores Hannoveranus & Brandenburgicus, Duces Wirtembergicus, Gottorpiensis & Cellensis, Episcopus Monasteriensis, Ordines Fœderati Belgii, Consilarii Ducis Gottorpiensis, Exercitus fœderatorum Principum, Belgicæ, Saxonicæ, Finnonicæ copiæ, miles quidam Svecus, Dani, Clasces Britannica & Belgica, BANER, DAHLBERG, CARLOWITZ, BUDBERG, PATKUL, FLEMING, Scriptor Centonis &c. sermone loquentes partim soluto, partim ligato, sed omnes e CICERONE, SALLUSTIO, TACITO, LIVIO, LUCANO, CLAUDIANO, SVETONIO, VIRGILIO, SILIO ITALICO, SENECA *Tragico*, TERENTIO, OVIDIO, CURTIO, IHEDRO, HORATIO, CATONE & aliis. Occurrit in his Finnonicæ gentis elogi-

F gium

f) VON STERNMAN Anonymorum Centur. II. p. 59, n. 74. GEZELIUS Biographiskt Lexicon, I Del. p. 76. FANT Utkast till Föreläsningar öfver Svenska Historien 5:te St. p. 32.

gium ex VIRGIL. Æn. IX. 603 - 611, & alloquuntur ejusdem populi copiam Saxones fugientes ex Eodem Æn. IX. 376 - 378, sed versu ultimo in hunc modum mutato:

Sed celerare fugam per aquas, & fidere ponti.

PATKULLI sola hæc sunt verba: *En quantum ego excitavi pu verem!* In germanicam quoque linguam conversum extare scriptum. & quidem a Traduttore atque Notario Publico TOBIA SCUBERT, testis est VON DER HARDT g).

Memorandi ulterius sunt PHILIPPUS ANTONII LAUB, Poetæ laureati Cæsarei & Pastoris primarii Weferlingensis in Principatu Halberstadiensis (nati a. 1674, defuncti a. 1715) Centones: 1. ad Purpuram Domini FRIDERICI SCHRADERI, M. D. ejusdemque ut & Phil. Nat. Prof. P. O. Facultatis suæ senioris, Sereniss. Ducum Brunsv. Lun. Archiatri, cum illi sceptrâ Academica anno 1703 d. XXV Jan. traderentur (Helmstadii); 2. Cento Votivus, Viro Magnifico &c. Dn. ANDRÆ JULIO Böttcher die XV Jan. anno MDCCV fascis Academiæ illustres obtinenti, consarcinatus b); quorum hic totus ex VIRGILIO, ille ex HORATIO quoque, OVIDIO, PERSIO, JUVENALI, SILIO ITALICO & CLAUDIANO concinnatus est, uterque pretii admodum exigui, & pauperis adeo non dicam venulæ sed memoriæ, ut vel iisdem utrobique pannis (e. g. Ecl. V. 65. Georg. II. 40. Æn. VIII. 273. XII. 429) superbiat. — A Centonario vero more haud multum abluunt, quæ ab eodem Scriptore congesta.

g) Holmia Literata p. 64.

h) Legi hi Centones possunt in P. A. LAUBENS Teutsche und Lateinische Gedichte, Coppenh. 1745 p. 306 - 309, 360 - 363, estque ille 36, hic 54 versuum.

ita sunt *Vatis VIRGILII Fatidica quædam politica i)*, quæ inter non male est sesquiversus *Æn. VIII. 321 sq. in Roslorum per illa tempora Monarcham PETRUM I. accommodatus.*

At vero ne nostra quidem ætate exolevisse aut infeliciter fuisse cultum centonarii artificii studium, documento est recens admodum & laude, quæ talibus tribui possit, maxima dignum eruditi cujusdam Galli tentamen, cujus hic est titulus: *Claudian ressuscité au mois d'Avril 1814, ou Centon, tiré des Ouvrages de ce Poëte, sur l'élévation & la ruine de la tyrannie de Buonaparté, & accompagné de la Traduction (en prose) par L. A. DECAMPE k)*. Epigraphes loco verbis utitur Jesaianis (XIV. 16 sq.): *Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna, qui posuit orbem desertum, & urbes ejus destruxit?* versibusque constat 509, tanta servatis fide, ut in longo quamvis opere una tantum vox mutata sit *l)*; simulque tam apte cohærentibus & tam scite accommodatis, ut parum absit, quin de iis, quæ nostris temporibus miserimi viderunt Europæ populi, quorumque pars magna fuerunt,

F 2

va-

i) Ibidem p. 145 - 155.

k) Insertus hic Cento est Ephemeridi litterario-politicæ Gallicæ, quæ Londini Anglorum per annos aliquot prodiit, *l' Ambigu*, N:o 407 p. 84 - 115.

l) Versu nempe 225 (Belli Getici 568) ubi pro *dira (Britannia)* repositum bene est *clara*. Sic enim DECAMPE ipse: *c'est le seul endroit, inquit, où je me sois permis d'altérer le texte. Il y avait dira. Cette épithète pouvait convenir alors. Les tems sont bien changés.* Hinc etiam pro *Napoleonis* nomine *Rufinum* posuit v. 6 & 266, at v. 394 *Alaricum*, pro ALEXANDRO nostro *Stiliconem* v. 216, pro Hispanis (?) *Perfas* v. 175, pro Gallia *Emathiam* v. 391, pro Lutetia *Romam* v. 467.

vaticinatum putemus priscorum sæculorum hominem
 CLAUDIANUM; quo etiam factum est, ut nonnunquam ad
 duodecim usque haud interrupta serie versus (v. 266-278,
 e L. II. In Rufinum v. 130-142) exscribi eodemque re-
 poni ordine potuerint. Sed specimina dabimus, non tot
 quidem quot libet, at, propter scripti in his oris rarita-
 tem, uberiora tamen. Initium operis hoc est:

*Nunc pateras libare deis, nunc solvere multo
 Nectare corda libet, socii, nunc larga parare
 Munera, donandumque novis legionibus aurum,
 Semper honoratus nostris celebrabitur undis
 Isse dies; semper dapibus recoletur opimis.
 Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
 Absolvitque deos. Jam non ad culmina rerum
 Injustos crevisse queror: tolluntur in altum,
 Ut lapsu graviore ruant; nil poscimus ultra.
 Quo, precor, hæc effecta deo? Robusta vetusque
 Tempore tam parvo potuit dementia vinci?
 Adspiciat, ne quis nimium sublata secundis
 Colla gerat. Quis enim, tanto terrore recentis
 Exempli, paribus sese committeret ausis?*

De Corsi ex Ægypto reditu & superbis ad augustiorem
 fortunam insolentemque potentiam passibus hæc canuntur
 v. 28-51, 68-70, 79-87, 97-99:

*Extemplo, cunctis trepidantibus audax,
 Letus cæde redit. Rerum sublatus in arcem,
 (Quod nec vota pati, nec fingere somnia possent)
 Vidit sub pedibus leges, subjectaque colla
 Nobilium, tantumque sibi permittere fata.
 Scilicet hæc stygia premittunt signa sorores,
 Et sibi jam tradi populos, hoc Consule, gaudent.*

Pro-

Prodigium est, quodcumque gerit; quot jura, quot ille
 Mutavit tabulas! vel quanta vocabula vertit!
 Arbiter aut quoties belli pacisque recurrit!
 Ast ubi paullatim præceps audacia crevit,
 Regnandique palam flagravit aperta libido,
 Sedit in angustis laribus: vulgata patebat
 Aula salutantum studiis; buc, plebe senatus
 Permixta, trepidique duces, omnisque potestas
 Confluit; advolvi genibus, contingere dextram,
 Ambitus; & famulum dignatur regia patrem.
 Evectus thalamis summos invasit honores.
 Posteritas, admitte fidem; implorantibus ulro
 Germanis responsa dabat legesque Cbaucis
 Arduus, & flavis signabat jura Suevis.
 His tribuit reges; his obside foedera sancit
 Indicto; bellorum alios transcribit in usus,
 Militet ut nostris detonsa Sicambria signis.

Ad facinus velox, penitus regione remotas
 Impiger ire vias; non illum siviis ardens
 Brumave rhiphæo stridens aquilone retardat.

Non Tartesiæcis illum satiaret arenis
 Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
 Aurea Pactoli; totumque exhauferit Hermum,
 Ardebit majore siti Non æquoris unda,
 Non illum natura capit: succumbere poscit
 Cuncta sibi; possessa semel non reddere curat.
 Asperius nihil est humili, quum surgit in altum:
 Cuncta ferit, dum cuncta timet; deservit in omnes,
 Ut se posse putent; nec bellua tatrior ulla est.

Congestæ cumulantur opes, orbisque ruinas

Acci.

*Accipit una domus; populi servire coacti,
Plenaque privato succumbunt oppida regno.*

Inducuntur populi sic inter alia querentes (v: 143 147):

*Nos adeo sperni faciles! Jam solis habena
Bis senas torquent byemes, cervicibus ex quo
Hæret triste jugum, Privato jure tenemur,
Exigui fundi specie; pars tertia mundi
Unius prædonis ager. — — — —*

De Moscovitica expeditione hæc leguntur (v. 177-207):

*Premia digna manent. Neu quid restaret inausum,
Nil byemi coelive memor, sublimis in Arcton
Prominet & raptus metitur corde futuros.
Erubuit Mavors, aversaque risit Enyo.
Nuper ab oceano Gallorum exercitus ingens
Illis, ante vagus, tandem regionibus hæsit.
Non peditem præcedit eques; non commoda castris
Eligitur regio; non explorantur eunda
Vitandæque viæ: nudoque biemare sub axe
Sveverat, & duris haurire bipennibus amnem.
Quo, vesane, ruis, Boreæ vastator & Austri?
Scilicet Arctois concessa gentibus urbe
Omnia tuta ratus, magna cervice triumphat:
"Vicinus, expulimus; facilis jam copia regni"
Sed dea, que nimis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam: "cur impia tollis
"Signa?" refert "Non ulterius bacchabere, demens.
"Jam poenas dabit iste tuus jam debitus ultor:
"Imminet; & terras qui nunc ipsumque fatigat
"Æthera, nec vili — — —, Sed jam majora moventi
Occurrit justa rediens exercitus ira,
Omnibus attonitis, improvisusque repente
Castrâ subit; pereunt. Multi, ceu Gorgone visa,
Obriguere gelu; multos haurere profunda*

Vasta

*Vasta mole nives; merguntur plaustra barathro:
Ipse Leo dama cervoque fug cior ibat;
Argentem pulsabat equum. Qui mente profunda
Hauerat urbis opes. ultro victoribus ipse
Præda fuit; qui cuncta sibi cesura ruenti
Pollicitus, rarum referens inglorius agmen
Hærebat, retroque fuga cedebat inertî.*

De clade feroci bellatori ad Lipsiam inflicta ejusque se-
quelis (v. 235 241, 295 305):

*Obsessi discrimen habet; per singula letum
Impendet; rubuere nives, & frigidus amnis
Mutatis sumavit aquis turbæque cadentum
Staret, ni rapidus iuvisset flumina sanguis.
At ferus inventor scelerum traecerat altum:
Castra cruore natant. Toto Germania Rheno
Intremuit; tantique vacat securæ tyranni.*

*Interea nequeat quamvis metuenda taceri
Clades, & trepidus vulgaverit omnia rumor,
Ignorare tamen fingit, regnique ruinas
Dissimulat: parvam latronum errare catervam;
Ad fontes tormenta magis quam tela parari — — —
Quid, demens, manifesta negas? quid plurima volvis?
Urbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Jam non finitimo Martis terrore movetur,
Sed propius lucere faces & rauca sonare
Cornua, vibratisque peti fastigia telis
Adspicit; & tacitas vindictæ præstruit iras.*

De magnanimitate & humanitate ALEXANDRI (v. 306-311,
349 360 373 380):

*Sed tot communi succurrant arma pudori;
Oblitusque sui, posita clementior hasta,
Vindicet Aëtiæ violatas advena leges.*

Hic

*Hic cunctis optata quies, hic sola pericli
Turris erat, clypeusque truce[m] porrectus in hostem;
Hic profugis sedes, aduersaque regna furori.*

*Qua dignum Te laude feram, qui p[er]ne ruenti
Lapsuroque Tuos humeros objeceris orbi?
Te nobis trepida ceu fidus dulce carina,
Ostendere dei, geminis que lapsa procellis
Tunditur, & victo trahitur jam caeca magistro.
Eripuit Tua nos urgenti dextera leto
Certamen sublime diu, sed moribus impar,
Virtutum scelerumque fuit: jugulare minatur,
Tu prohibes; ditem spoliat, Tu reddis egentem;
Eruit, instauras; accendit praelia, vincis.
Quae Tibi pro tanti pulso discrimine regni
Sufficient laudes?*

*Hinc amor; hinc veris & non fallentibus omnes
Pro Te solliciti votis; hinc nomen ubique
Plausibus, auratis celebrant hinc ora figuris.
Nec Tibi venales captant araria plausus
Corruptura fidem: meritis offertur inemittis
Pura mente favor; nam munere carior omni
Adstringit sua quemque salus: procul ambitus errat.
Non querit pretium, vitam qui debet amori.*

In extorris dominatoris ad Ilvam insulam abitum, v. 431,
437-452:

Nonne mori satius, vitæ quam ferre pudorem?

*Vive pudor fatis, dum nos longissima tellus
Dividat, & mediis Nereus interstrepit undis.
Quae vindicta prior quam quum formido superbos
Flectit, & asserum spoliis affigit egestas?*

Ad.

Adspexisse sat est: oculis jam parcite nostris. — — —
Improbe, — — — quid pulsas muliebribus astra quevelis?
Direptas quid plangis opes? Detrusimus orbe
Te medio, tantisque simul spoliavimus armis:
Ablato penitus respirant nomine fasti,
Nec poenam differre placet. Jam classis in altum
Provebitur; cæcis vitatur Corsica saxis;
Et thalamo pulsus, Tyrrbena clauditur unda.
I nunc; exitium nobis meditare remotus;
Quære, ferox, ense qui nostra ad moenia tendi
Possit ab Italia; non te monumenta priorum,
Non exempla vetant: illinc me figere tenta.

Absolvimus, in quantum absolvi is hoc saltem tem-
 pore & a nobis potuit, Centonum Poëticorum Latinorum
 recensum: de similibus recentiore aliqua lingua factis per-
 iculis agendum nobis non fuit, & multo etiam minus
 de profanis. Illius generis rariora esse exempla, miretur
 nemo: inprimis cum vel impudentissimi & plagiarii &
 compilatores intermiscere semper aliquid de suo soleant;
 & qui satyras in scriptores alios scribunt, parodico potius,
 quam centonario consilio delectentur. Composuit tamen
 SIGISM. BETULIUS (VON BIRCKEN, natus a. 1626, defunctus
 a. 1681) Centones Germanicos *Stückelgebände*) ex MART.
 OPTIO & aliis Poëtis, sed de quibus, non aëque succedere
 rem Germanica, atque Græca & Latina lingua, MOR-
 HOFII *m*) est iudicium; & vidimus nuperrime quoque me-
 morari *n*) scriptum Hungaricum anonymum *Mondolat Dis-*
balom (*Rede, Rubmbügel*), quod anno 1813 prodiisse nar-
 ratur, & nil esse aliud, quam amari falsis plenum Cento-
 nem ex operibus auctoris libri a. 1811 editi *Tövissek és*

G

Vi-

m) Unterricht von der Teutschen Sprache und Poësie p. 581.

n) Leipziger Literatur-Zeitung 1814 N:o 18.

Virágok (Spinæ & Flores) conflarum. Ad Prosaicos an referendi sint Centones, quos e Tacito adornasse & Hamburgi circa a. 1690 evulgasse dicitur o) JOH. BAMBANIUS, ignorare nos fatemur; videtur saltem probabilius, esse eos ex versibus Historici illius fortuitis (qualis est e. c. qui Annalium primum Librum inchoat) conglutinatos. At in nostra quondam patria, Svecia, prodiit omnino, præter epitaphium illum TRAUTZELII Sermonem, a. 1678, Holmiæ, sed Upsaliæ, Dissertationis publicæ loco, & Præsidente Professore Eloquentiæ ANDREA NORCOPENSI, ventilandus, NICOLAI D DAALHEMII, Ostrogothi, & Londinensium postea in Scania Professoris, *Cento de Morte & Nece voluntaria p)*, ubi per integras octo plagulas, tertiam fere Præfationis partem & brevissimas coacervatorum dictorum copulas si exceperis, parum admodum habet quod suum dici possit. Instituti autem rationem sic reddit: *Centonem concinnavi, quod scribendi genus, vel fatente LIPSIUS, admodum difficile & tetricum est. Scriptores, unde sumsi, ob oculos posui, ut suis bonos singulis maneret. Minus quidem molestum fuisset propriis verbis uti, sed vereor ut pondus simile haberent, & si ambigua vel obscura res occurreret, mendacii arguerer: hoc enim sæculo vivimus, in quo vix est testibus fides, præsertim in re tam dubia, ubi unus negat, alter affirmat, & quod placet huic, displicet illi, pro captu lectoris, pro scriptoris libitu. Sed hæc fere omnia ὡς ἐν παρρησίᾳ dicta sunt.*

o) FABRITIUS (ERNESTII) L. c. T. II. p. 389.

p) Cfr. LIDÉN l. c. Sect. I. p. 360, Sect. II. p. 39, & SCHEFFERUS in Svecia Literata p. 270, 440. Vitam Auctoris exhibet VON DÖBELN in Historiæ Academiæ Lundenfis Continuatione Altera p. 28 sq.